

„ nabilem , & Cyrum & Joannem Ægeotas , & omnes qui
 „ quocumque modo contradixerunt duodecim Capitulis
 „ Sanctissimi Cyrilli , & pœnitentiam non egerunt , sed
 „ in hoc errore sunt mortui , & quicumque eis similia fa-
 „ puerunt aut sapiunt . *In Capitulo 9.* Anathematizat
 „ scripta Theodoriti , quæ sunt contra rectam fidem , &
 „ Sanctum Cyrillum : & Epistolam quæ dicitur Ibæ : &
 „ Theodorum Mopsveltenum & scripta ejus : & si quis non
 „ suscipit scripta S. Cyrilli , & maxime quæ sunt contra
 „ Theodorum , & Theodoritum , & Andream , & Nesto-
 „ rium : & quicumque similia eis , aut unius eorum sen-
 „ serunt aut sentiunt „. Tota igitur quæstio ad unum ,
 septimum scilicet Capitulum , redigitur , in quo Cyrus *u-*
nam Deivirilem in Christo operationem docet , iis verbis :
eundemque unum Christum operantem Deo decibilia , &
humana , una Deivirili operatione secundum Sanctum Dio-
nyfium . Atqui Cyrus , Sancti Dionysii textum interpola-
 vit , & pro , *nova Deivirili operatione* , quam S. Dio-
 nyfius dixit , substituit *unam Deivirilem operationem* ,
 quam fraudem alii Monothelitæ secuti sunt . Hoc septi-
 mum Cyri Capitulum relectum est damnatumque in Sy-
 nodo Lateranensi sub S. Martino Papa anno 649 . Secre-
 tario 3 . (Tom. 7 . Concil. Labb. edit. Venet. p. 181 .) Chri-
 stianus Lupus , cæteroquin vir oculatissimus , humanum
 quid passus est , dum ait in dissert. de vi. Synodo cap. 4 .
 de Cyro : *composuit septem concordie dogmatica Capitu-*
la , orthodoxa omnia , excepto ultimo , quo unam in Do-
mino asseruit voluntatem ac operationem Deivirilem : non
 enim septem , sed novem sunt Cyri Capitula , neque *ul-*
timum est hæreticum , sed septimum .

Celebrata itaque *Alexandrina Synodo* , Cyrus scripsit
 ad Sergium Constantinopolitanum Episcopum , novem il-
 la Capitula suæ adnectens Epistolæ , quæ Grace & Latine
 exstat Act. xiii. Synodi (1) Sextæ . Inscriptio . Ἰδιῶ δεσ-
 πότῃ τὰ πάντα δεοτιμῶτα καὶ τρισυμκαρίτω πατρὶ πατέρων
 οἰκουμενῶ Πατριάρχῃ Σεργίῳ , Κύρῳ ἐλάχιτος ὑμῶτερον .
 „ Proprio Domino per omnia a Deo honorando atque
 Lib. IV. F „ ter

(1) Concil. Labb. Tom. vii. p. 286. edit. Venet.